


# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET.

C. DEL VECCHIO.



s incredibiles!  
ondit Caesari?  
victoribus.

on incerto foe-  
[dere,  
vi Barbari.  
randa chartula,  
convenientia!  
quam Pontifex!  
is animis,  
tius noverat,  
untur integrum,  
t concordiam,  
ompescant, ar-  
[ceant.  
pax gentibus.  
Consilium com-  
[modum!

us abnuit!  
nservire melius!  
vos adpellitis?  
ros advenae.  
fidissimi!  
is adversarii?

us nos propitiis!  
dgressi ...  
Neutiquam!  
os fugimus!  
Liquimus

unt Barbari!

Sponsor.

is VATICANIS.

# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus  
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae: In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bastia Umbra - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bisceglie - Bologna - Bolzano - Borgo a Mozzano - Bra - Brescia - Cagliari - Caltagirone - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Casalbuttano - Castellamonte - Castelnuovo di Garfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cornigliano Ligure - Cortona - Cotrone - Cremona - Cuorgnè - Dogliani - Fabriano - Fermo - Fiesole - Figline Val d'Arno - Firenze - Foggia - Foiano della Chiana - Foligno - Forte dei Marmi - Fossano - Frascati - Frosinone - Gallicano - Gallipoli - Genova - Giugliano Camp. - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lanciano - Lecce - Legnano - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Mercatale - Messina - Milano - Modica - Mondovì - Monteleone Calabro - Montesampietranello - Monte S. Savino - Monte Urano - Montevarchi - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Orzinuovi - Pagani - Palermo - Pallanza - Parenzo - Piadena - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Poggibonsi - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Rapallo - Reggio Cal. - Rivarolo Canavese - Rocchetta Ligure - Roma - Rovigno - Salerno - S. Benedetto del Tronto - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Saronno - Savona - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Squinzano - Tagliacozzo - Terranova Sicula - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo - Volterra.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exterbas gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borjas Blancas, S. Coloma de Queralt, Wals in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Cheikh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli in Syria - Gerusalemme, Caifa, Giaffa in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.

## Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
pretio quo sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandum**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.


I. B. FRANCESIA **Saturio, Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticæ. - Singulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae,** Milesia fabula. - Lib. 1,50.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.*



## PRO PALAESTINA

Vetus est consuetudo atque institutum, ut in allocutione quam Summus Pontifex in consistoriis habet, nonnulla de maximis Ecclesiae catholicae negotiis cum sacro Purpuratorum senatu communicet. Atqui in recenti conventu, in Vaticano habitu die XIII curr. mensis Iunii ad novos Patres Cardinales creandos, Benedictus XV hunc morem prosequutus, quaestionem maxime agitavit, quae summopere cordi est animo cuique Christiano.

De rerum statu in Palaestina dicimus; in ea scilicet regione Christianis omnibus carissima « quam ipse divinus hominum Redemptor suae vitae mortalis actione consecravit ». Quod enim iam abhinc annos duos Pastor supremus conquerebatur, a peregrinis acatholicorum sectis, christianam appellationem praeserentibus, ibi nefarie effici, id ipsum conqueri etiam nunc debet, videns ut alacrieres quotidie illae in incepto perseverent, opibus abundantes, callideque usae incolarum, ex maximo bello, summa inopia et egestate.

Quin imo quum foederatorum copiis Christiani denuo Loca sancta in suam potestatem redegissent, « Nos - inquit - commu-

nem bonorum laetitiam participavimus ex animo; sed ei gratulationi timor ille subrat, ne ex facto per se praeclaro et laetabilis id consequeretur, ut in Palaestina Hebraei iam praevalerent praecipuoque quodam iure fruerentur. Non inanem eum fuisse timorem res ipsa ostendit. Christianorum enim in Terra Sancta non modo non meliorem factam esse condicionem appareat, verum deteriorem etiam, quam antea, scilicet propter novas civitatis leges et instituta, quae - non dicimus, voluntate auctorum, sed certe re - huc pertinent, ut christianum nomen de eo statu, quem semper usque adhuc ibi obtinuit, deiiciant, in gratiam Hebraeorum. Ad haec multam videmus - addit - a multis dari operam, ut Loca Sancta profanentur, atque in voluptuarios quosdam secessus convertantur, importandis illuc deliciarum illecebris omnisque generis invitamentis ad luxuriam; quae quidem probari nusquam alibi possunt, nedum ubi passim augusta religionis extant monumenta ».

Quoniam vero res Palaestinenses nondum ad perpetuitatem constitutae sunt, iam nunc Pontifex edicit, sese velle « ut quum maturitas Palaestinae ordinandae venerit, Ecclesiae catholicae Christianisque universis sua ibi salva et incolumia iura sint ». De iuribus quidem hebreai

generis quicquam deminui sane non vult, sed contendit sacrosancta Christianorum iura ab iis opprimi omnino non debere. Eaque de re omnes, quicumque Christianos populos, vel ipsos acatholicos, gubernant, vehementer rogat, « ut apud illam nationum Societatem, cui dicitur mandati Anglii de Palaestina esse ratio expendenda, instare ne graventur ».

\*\*

Post dies duos ex quo Pontificiae hae de Palaestina querelae elatae sunt, in Anglico coetu legibus ferendis, qui « de Communibus » vulgo appellatur, Winston Churchill, coloniarum minister, legem proponit de congrua pecunia constituenda ad munus obeundum, quod Nationum Societas Angliae commisit, ut novum Arborum regnum Sionistarumque respublica crearetur. Hos itaque sapienti oratione Benedictus XV praesertim monet, ne Christianorum iura in hisce instituendis despiciant, qui in Palaestina tempora possident, traditionem, ipsumque Crucisignatorum sanguinem, ad redimenda ab obbrobrio ac servitute loca illa effusum, quae a Christi vita inibi peracta sacra facta sunt.

Huiusmodi heu! pretiosae hereditati haeresis insidiatur, quae auri triumphum et illic molitur; insidianter immigrantes Hebraei, qui et in Carmelo monte, et prope Gethsemani hortum, et circa urbes a catholicis super omnibus dilectas, sedem suam ponunt, aedesque aedificant, in honestorum divitium delicias, ut apud Cairo urbem Aegyptiasque pyramides. Hoc est ludibrium, impudentia, sacrilegium; hoc est propositum consilium ea profanandi, quae non modo Catholici, sed Christiani universi summa pietate venerantur.

Benedicti XV verbum igitur hodie etiam intimos animi sensus maxima totius orbis partis reflectit; est vocis lamentabilis innumerorum hominum fidelis repercussio.

\*\*

Sionismus enim haudquaquam est moysica aut hebraea religiosa instauratio; sed civile facinus, politicum, pecuniarium, et praesertim « laicum »: sionismus non quidem templum instaurare mavult, sed suum ordinem, civile territorium, fulcrum per quod speciem nationis, populi, civitatis instruat; instruat quasi pontem, unde divitiae, quae in Hebraeorum manibus maxime sunt atque multiplicantur, in Orientem affluent. Regnum itaque sive status sionisticus ficta res est, et prius quam in concretionem deveniat iam huiusmodi venenatos fructus in orbem catholicum importat, qui, Turcis depulsis, sperabat fore, ut, post tot dedecoris saecula, liberationis tempus Terrae Sanctae effulgeret.

Quamquam in concretionem erit deventurus? Hebraeorum namque populus extorris patria, dispersus manebit usque ad signatos dies; qui quidem longe aliter esse videntur quam ii quos vivimus. Hodie enim Sionismus non vi sua sed ex aliorum voluntate genitus est, eritque donec aliena voluntas ipsi succurrat. Praeterea neque indigena est, sed Europaeus; secumque dissidia non veteris mundi trahit, sed factionum quae ad bolscevismum usque pervenere, apud quem, - inter omnes constat, - hebraismus dominatur.

Non Moyses redit, sed Talmud illud revertitur! Cum amantissimo Patre iure igitur meritoque quotquot Loca sancta veneramur, Palaestinae sortem plorare debemus!

ROMANUS.

*Pravi sicut in sensu leves sunt, ita in locutione praecipites; quia quod levis conscientia concipit, levius protinus lingua prodit.*

S. GREGORIUS, Mor. 3.

## DE POËTARUM ELEGACORUM COMPARATIONIBUS<sup>1</sup>

Similitudinem vero, cui parem elegantia ac suavitate vix invenire possis, CATULLUS inde de prompsit (64, 269):

*Hic qualis flatu placidum mare matutino horrificans Zephyrus proclivas incitat undas, aurora ex oriente vagi sub limina solis, quae tarde primum clementi flamine pulsae procedunt leviterque sonant plangore cachinni, post vento crescente magis magis increbescunt porpureasque procul nantes a luce refulgent;*

certe non immemor earum comparationum, quas HOMERUS habet (B. 114, et H. 63).

Undas sub ventorum flaminibus varia-tas, animo mulieris facile mutabili, PROPERTIUS comparavit (II, 5, 11) exquisitiorem etiam in hac similitudine gustum secutus.

Mare surgens est apud VERGILIUM (*Georg.* II, 237):

*Fluctus uti, coepit medio cum albescere ponto, longius ex altoque sinum trahit utque volutus ad terras immane sonat per saxa neque ipso monte minor procumbit, at ima exaestuat unda verticibus nigramque alte subiectat arenam;*

ubi similitudo intercedit cum Eratosthenis fragmento supra allato, et brevius (*Aen.* VII, 528):

*Fluctus uti primo coepit cum albescere vento, paulatim sese tollit mare et altius undas erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo.*

OVIDIUS quoque eandem habet imaginem, sed ita, ut magis anni tempus respxisse videatur (*Met.* XIV, 711):

*Saevior illa fretu surgente cadentibus haedis.*

Imago, quam HOMERUS exhibet: ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ σκοπῆς εὖδεν νέφος αἰπόλος ἀνήρ ἐρχόμενον κατὰ πόντον ὑπὸ Ζεφύρου ιώης· τῷ δὲ τ' ἄνευθεν ἔοντι μελάντερον ἥγε πίσσα φαίνετ' ιὸν κατὰ πόντον· ἣγει δέ τε λαῖλαπα πολ-

[λίν,

VERGILIUS (*Aen.* XI, 624-28):

*Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus nunc ruit ad terram scopulosque superiacit unda spumeus extremamque sinu perfundit arenam, nunc rapidus retro atque aestu revoluta resorbens saxa fugit litusque vado labente relinquit.*

Haec vero accessum et recessum fluctuum spectant cotidianum.

Undas maris post procellam lenius in arenam cadentes habet PROPERTIUS (IV, 14, 31):

*Ac veluti magnos cum ponunt aequora motus Euris ubi adverso desinit ire Noto, littore si tacito sonitus arescit arenae...*

Et OVIDIUS amorem absentis puellae undis comparat (*Fast.* II, 775):

*Ut solet a magno fluctus languescere flatu, sed tamen a vento, qui fuit, unda tunet.*

Apud eundem *undae fallaces* in comparatione sunt: (*Met.* XIII, 799); mare *ferox* (*Her.* 3, 133); mare *surdum* (*Her.* 8, 9) et (*Met.* XIII, 804).

A THEOGNIDE: (107) Οὐτέ γὰρ ἀν πόντον σπείρων βαθὺ λήιον ἀμῷς, non aliena sunt, quae leguntur CALLIMACI (*H. in Dem.* 20): Τὰ δὲ ἐς βυθὸν οἴα θαλάσσας ἀλεμάτως ἀχάριστα κατέρρεεν εἴδατα πάντα.

Fluvios in mare eunes VERGILIUS et OVIDIUS in similitudines insumunt, ille ut vim, qua Aeneas et Turnus in certamen ruunt, significet (*Aen.* XII, 523):

*Ac velut ... aut ubi decursu rapide de montibus altis dant sonitum spumosi annes et in aequora currunt, quisque suum populatus iter.*

Hic sententiam communem, omnia flumina ferri in mare, ter usurpat, primum, ut Tartarum illustreret omnes manes recipientem (*Met.* IV, 440): *Utque fretum de tota flumina terra, sic omnes animas locus accipit ille;* tum Callimachum imitatus, ut Erysichthonis famem pingat (*ibid.* VIII, 835): *Utque fretum recipit de tota flumina terra, nec satiatur aquis pere-*

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

*grinosque ebibit amnes; denique, ut se excuset concinentem cum universo populo vota pro diurna Augusti vita (Trist. V, II, 27): Optat idem populus, sed ut in mare flumina vastum, sic solet exiguae currere rivus aquae.*

(Sequitur).

A. AURELI.



## GREGORIUS VII ET LEX DE COELIBATU CLERICORUM<sup>1</sup>

Tria praesertim mala Ecclesiam opprimebant, quando Gregorius VII in cathedram s. Petri evectus est. Laquei *investiturae* principum eius libertatem coarctabant; labes *simoniae* eius sanctitatem contaminabat; *clerogamia* autem eius labefactabat puritatem. His malis Gregorius VII statim a principio sui Pontificatus occurserunt voluit, unde scopum et finem talem sibi proposuit; ut « *Sancta Ecclesia sponsa Dei, domina et mater nostra, ad proprium rediens decus libera, casta et catholica permaneat* ».<sup>2</sup>

Quod autem proxime nostrum propositum attinet, iam in prima synodo Romae celebrata (d. 10 martii 1074) inter alia statuit ut « illi qui in crimine fornicationis iacent, missas celebrare aut in inferioribus ordinibus constituti ministrare altari non possint, et denique si ipsi contemptores fuerint nostrarum, immo sanctorum Patrum constitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat ».<sup>3</sup>

Hoc decreto Gregorius VII nihil novi constituit; nam huiusmodi decreta eius praedecessores ediderant; ut iam supra

innimus. Sed experientia eductus, adlaboravit hoc decretum efficacius exsecutioni mandare. Ideo in hunc finem epistolas, legatos in diversas partes misit, synodos celebrari praecepit, omnino exigens ut omnia haec ad amussim observarentur. Sic inter alia omnibus clericis et laicis in Germania imperavit, ne episcopis ullo modo obedirent, vel illorum praeceptis consentirent, qui sacerdotes, diaconos et subdiaconos uxores habere consentirent, aut negligerent.<sup>4</sup>

At clerici uxorati propensi non erant ad obediendum his Summi Pontificis mandatis; itaque multis in locis nata est magna clericorum uxoratorum insurrectio. Lambertus Hersfeldensis, aequalis temporis illi, in suis *Annalibus*<sup>5</sup> his verbis hanc oppositionem narrat: « Hoc decreto per totam Italiam promulgato, crebras litteras ad episcopos Galliarum transmittebat, praecipiens, ut ipsi quoque in suis ecclesiis similiter facerent, atque a contubernio sacerdotum omnes omnino feminas perpetuo anathemate resecarent. Adversus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio clericorum, hominem plane haereticum et vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini, quo ait: “Non omnes capiunt hoc verbum, qui potest capere, capiat...”, violenta exactione homines vivere cogeret ritu angelorum... Quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium, quam coniugium deserere... ».<sup>6</sup>

Multi autem uxorati clerici non solum insurrexerunt contra Summum Pontificem, sed etiam contra episcopos, qui illud decretum exsecutioni mandare voluerunt. Sic in synodo Rothomagensi, habita a. 1074, Ioannes archiepiscopus, qui executionem decreti exigebat, ex ecclesia electus est.<sup>7</sup>

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> GREGORII VII, *Epist. 46* (Edid. IAFFÉ, II, 574).

<sup>3</sup> HEFELE, op. cit., V<sup>2</sup> p. 24 sq.

<sup>4</sup> P. L., 148, p. 396 sq.

<sup>5</sup> P. L., 146, 1168.

<sup>6</sup> HEFELE, op. cit., V<sup>2</sup>, 35. - LABBÉ, op. cit., XII, 579.

In synodo Parisiensi eiusdem anni clerici declararunt, illud decretum impossibile esse, et Gualtero abbat, qui eos ad obedientiam adhortabatur, mortem minati sunt.<sup>1</sup> In quibusdam aliis partibus episcopi non sunt ausi decretum exsecutioni mandare propter metum clericorum.

« Nihilominus, - prosequitur Lambertus Hersfeldensis - ille (Summus Pontifex) instabat; et assiduis legationibus episcopos omnes socordiae ac desidiae arguebat, et nisi ocyus iniunctum sibi negotium exsequerentur, apostolica se censura in eos se animadversurum comminabatur ».<sup>2</sup>

Hac insigni fortitudine et perseverantia toto tempore sui Pontificatus Gregorius VII prosecutus est gerere bellum contra incontinentiam clericorum. Et sicut contra hoc malum, ita pariter incessanter pugnauit contra investitaram et simoniam, plaga pessimas, quae tunc temporis, ut dixi, Ecclesiam opprimebant.

Finem, quem sibi Gregorius proposuerat, non est assecutus, immo in exilio propter hunc finem mortuus est; unde et illa memorabilia verba in supremo spiritu pronuntiavit: « Dilexi iustitiam et odivi iniquitatem, propterea in exilio morior ».<sup>3</sup>

Sed si Gregorius VII non vidit adimplatum, quod tam ardenter in votis habuerat, tamen desideria eius post mortem adimplata sunt: Gregorianae sententia sub eius successoribus triumphum reportavit. Viam, quam ille ingressus fuerat, eius immediati successores fideliter prosecuti sunt. Observantia legis coelibatus denuo universalis in Ecclesia latina evasit.

\* \*

Non est ergo vera assertio, Gregorium VII fuisse auctorem legis de coelibatu clericorum. Lex de coelibatu est multo

<sup>1</sup> HEFELE, op. cit., V<sup>2</sup> 33 sq.

<sup>2</sup> P. L., 146, 1168.

<sup>3</sup> PAULUS BERNRIED, *Vita S. Gregorii VII*, cap. 12.

P. L., 148, p. 95.

Gregorio VII antiquior; nam suas radices in antiquissima aetate Ecclesiae catholicae agit. Gregorius VII solumodo efficacius observantiam huius antiquissimae legis promovit, praesertim quoad illos clericos, qui impune eam transgrederentur; nam haec est illa lex, ex qua tot bona pro Ecclesia promanarunt. Revera lex de coelibatu clericorum est arbor in Ecclesia catholica, quae aureos fructus producit; fructus, qui ministros Ecclesiae angelorum similes reddit; laboribus apostolicis magis idoneos facit, et ad se ipsos pro Deo et proximo in sacrificium offerendos promptiores.

Haec omnia hostes Ecclesiae bene sciunt; ideo hanc arborem in Ecclesia omnibus modis sterilem reddere conantur. At Ecclesia non cessat arborem suis curis fovere, legibus sanctissimis sepire, et orationibus continuis rigare.

A. BAČIĆ. O. P.

## DE EBRIETATE, SEU ALCOOLISMO APUD VETERES

- « Ebrietas! En fatalis humano generi inimicus! ». Sic uno verbo, apud omnes undique humaniores civitates, praedicant medici, Machaones omnes et maximo qui studio mortales ad humanitatem excolunt. Re enim vera, innumerā prope est malorum colluvies, quae ab ipsa, a suo veluti fonte, in homines fluunt, eorumque mentes torquent, qui amoris causa, hominibus, hoc vitio laborantibus, remedium aptum commodumque procurare pro viribus student. Remedia igitur remediis seruntur, novae proponuntur continuo medicinae, et prioribus recentiores succidunt; et coetus doctorum hac de re insigniter fiunt, ut tot tandem malorum undique irruentium pia propugnacula parent. Omnibus at haec tristia verba sculpenda esse arbitror: « Verba miser frustra non proficiencia perdo! ».

Plerique recentem hanc luem autem, ceteris modo flagellis addendam, quae tamdum homines vexant atque exagitant; at nos optime novimus hoc malum multo longius esse repetendum.

Et ipsi reges et legiferi apud veteres eo pro viribus contendunt, ut improbum vini vitium e pectoribus eradicent, gravibusque poenis plectant. At quid non ebrietas designat? opera recludit? Medici summo opere sudant ut ebrios sanent; in quos historicci acerrime invehuntur.

Hippocrates, *qui vivos potuit mulcere dolores*, quinto saeculo ante Christum natum, mirabili cura ac sapienti perspicuitate multa scripsit ebriis curandis, perinde ac si nostra aetate viveret, qua multi hac infirmitate aegrotantes numerantur. Galenus, celeberrimus antiquioris aevi medicus, aliquie antea et postea exactissime ac prolixius de singulis et parvulis morborum circumstantiis cum remediis disserunt.

Plato, Aristoteles, Plutarchus, ita variaque scripserunt, ut eorum exemplo, nec medici ipsi, mea utique sententia, utiliora remedia nitidiusque proponere possint.

Ad ultimum, quum mala undique in vulgus irruerent, et omnes quasi urbes et oppida essent hoc morbo circumfusa, Draco, acerrimus ille iudex, criminumque severissimus vindex, morte ebriosos multando esse decrevit! Quam ipse

*Sudet multis frustaque labore,*

probatur ex Solone, qui rarissimo exemplo, ne merum vel inter epulas misceretur praecepit. Quin imo, cautum est, ne quis merum publice venderet. Hanc legem caupones nostrae aetatis ambabus manus gratulantes acciperent, legiferumque per orbem laudandum esse praedicarent!

Aristoteles, gravissimus philosophus, voluisse quod ebriosi delinquissent duplum puniri, primum ob crimen, secundum ob ebrietatem!

Et ipse vetustissimus Pittacus, qui inter Graeciae sapientes adnumeratur, sententiam Aristotelis antea est prosequutus.

Constat denique apud omnes quomodo Lacedaemones curarent, ne unquam in ebrietatem liberi inciderent. Ipsi specimen faciebant in corpore vili, ut aiebant, et pro moribus suis aequum atque iustum: servum inebriare consueverant, qui humi defixus, multo vino marcidus, membra movet, dubius stat labatque pede: nant eius oculi; clamor, singultus, iurgia gliscit et triste dat de se ac turpe spectaculum. Pater ad liberos trementes conversus: «Vide, ne idem facient peius tibi accidat!».

Hoc improbo consilio multi ab ebrietate apud Lacedaemones abstinuisse duntur.

Licurgus denique, quum aërem verberare videret seu lapidem, et nihil legibus poenisque referre ut in urbe et in oppidis ebrii cessarent, hoc denique consilium amplexari decrevit: ut uno eodemque tempore vites universae a fundis evellementur.

Haec de Graecis, qui proverbio increbuerunt, ut idem esset pergraecari atque improbe cibis vinoque sese ingurgitare. Quid quod? Scripsit Horatius

*Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.*

Et ipse Horatius queritur de Graecorum morum in milites:

*Vel si Romana fatiget  
Militia assuetum graecari!*

Quid peius? Narratur et prisci Catonis  
*Saepe mero caluisse virtus!*

Quae quum ita sint, ne tanta incassum verba eant, ad religionem meos ego lectores respicere iubebo. Namque nihil omnino legiferi obtinere potuerunt, nihil principes carceremque multasque minitantes, quod homines, dulci nectare abrepti, legibus posthabitatis, spretisque poenis, in peius semper irruerunt.

Sola enim religio, auctoritate sibi divinitus permissa, homines admonere consuevit atque ad meliorem frugem adducere. Quot, eius praescripto, temperant se a vino, et mira sane constantia multis etiam adstantibus periculis, in sacro manent proposito usque ad exitum vitae!

SENIOR.

## EX BATAVIA

### De certamine poëtico Hoeufftiano.

A Regia disciplinarum Academia Nederlandica accepimus, et libenter edimus:

De XXXVI carminibus, quorum III tardius ad nos erant perlata quam ut ad certamen in annum MCMXX indictum, cui fuerant destinata, admitti possent, ita est pronuntiatum:

Septem carmina statim sunt seposita, utpote quae publica luce plane indigna viderentur. Erant haec:

*In nuptiis viri docti; Aeterni feriatur foedus otii; Pax; Plaustrorum seriem machina protrahens aquae vaporatae vi; Satira; Epistula matri amantissimae; Cena Balthassaris.*

Paulo meliora visa sunt, haudquaquam tamen tanto meliora ut recipi possent in volumen sumptibus legati edendum, sex haec: *Danti Alighierio carmen saeculare; Roma - Amor; Publius, sive de Melita clarissima insula; Eucharis; Mysticum iter; De communismo inducendo.*

Post aliquam dubitationem et haec seposita sunt, licet aliqua laude non plane indigna sint visa.

Sunt XV numero: *Uxori procul aegrotanti epistula; Flavius et Russo; Corydon; Epistula ad meos discipulos; Postridie kalendas novembres; Praesidium Lucae; In militaris ephebei iuventutem; Nepotuli pensum; Augusta Taurinorum diuturna obsidione liberata; Amant alterna camenae; Mincius; Pax (sententia: Sic vos non vobis); Somnium Horatii; Pervigilium beatissimae semper virginis Mariae in caelum assumptae; Aevi prima memoria.*

Restant octo carmina egregia, verorum poëtarum vera poëmata. Ea h̄ic enumerauntur sic, ut adscendatur ad optimum:

*De velivolo curru; Epistula Flori ad Horatium; Optarim pro bile iecur tibi,*

*Flacce, moveare; Davi redditus ad inferos; Arminius; Telemachus; Regnum paupertatis; Asterie.*

Praemium ergo aureum adiudicatum est

### FRANCISCO SOFIA ALESSIO RADICENENSI

qui *Asterien* cecinit. Praeterea sumptibus legati hoc ordine post illud in volumen recipientur haec carmina, si poëtae illorum scidularum aperiendarum dederint veniam: *Regnum paupertatis; Telemachus; Arminius; Davi redditus ad inferos; Optarim pro bile iecur tibi, Flacce; moveare; Epistula Flori ad Horatium; De velivolo curru.*

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa, nec prius edita argumentive privati, nec L versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manuscripta ante kal. ian. a. MCMXXII mittantur ad *het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen Trippenhuis Amsterdam*, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit si poëtae in transcribingo portabile prelum Britannicum (*typewriter*) adhibuerint, et si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur, eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendae venia dabitur. Id autem ante kal. iul. proximas fieri debebit.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense aprilis pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstel. die xi m. apr. a. MCMXXI.

C. VAN VOLLENHOVEN,  
Ord. lit. Acad. Reg. Neerl., praeses.

## ASTERIE

*Carmen FRANCISCI SOFIA-ALESSIO in certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXX praemio aureo ornatum.*

Mollis ut Asterie niveo candore nitebat!  
Lenta peristyli flores spectabat amoenos,  
Atque repercuo radiabant aequora sole.  
Consul Alexandri claram delatus in Urbem  
Deliciis fruitur, Nili prope fluminis oram:  
Coniuge cum cara peragit simul otia felix.  
Gesserat ille quidem latum iam bella per

[orbem,

At procul ex animo pepulit discrimina rerum,  
Et nunc in tenero flagrans est totus amore:  
Scilicet Asteries gremio requiescit in almo.  
Attamen horrificis visis turbatur anhela;  
Namque viri videt extinti pallere cruentam  
In somnis speciem, tacitoque accedere gressu;  
Ex quo perpetuo recubans languore laborat.  
Sagas ac medicos lateri simul adicit aegrae  
Incassum coniux: sperat tamen illa salutem.  
At vario sermone diem terit, atque libenter  
Sic rogit: O mihi luce magis dilecte marite,  
Dic, age, nunc dubios casus et funebre bel-

[lum.

Nunc Marsos rutilis placeat memorare ca-  
[pillis:  
Nonne quidem vos fudistis iam nocte seden-

[tes<sup>1</sup>

In festis epulis hostes per opaca locorum?  
Vidistin, coniux, uxorem torva tuentem?  
Arminii? Quid tum secum Tusnelda dolebat?  
Infelix manibus gremium captiva premebat;  
Flens oculos utero defixos usque tenebat!  
Horrentem nigra narra formidine silvam:<sup>3</sup>  
Qui vos intrastis saltus lucosque silentes?  
Per loca senta situ vidistis diruta castra,  
Et quas barbaricas noster cruor imbuīt aras:  
At nemus albebat disiectis ossibus omne;

Haerebantque cavis arentia quercubus ora:  
Varus consivit mortem sibi perditus illic!  
At vos examinis maesti suprema tulistis,  
Relliquisque pie tumulis iam rite deditis.  
Quo tandem tenuistis iter vada caeca legen-

[tes<sup>1</sup>

Num poterat minuente salo procedere classis?  
Scilicet unus erat vultus terraeque marique:  
Quales exstabant pedites in gurgite vasto?

Atqui fregistis furiali caede rebelles:  
Frustra sunt iam conati tranare Visurgim,

Qui fluit usque ferens populi fragmenta su-

[perbi:

Vicimus, ac tandem nos debellavimus hostes.  
Haec, sodes, repetas; bellum meminisse iu-

[vabit.

At consul: Fugias bellum memorare nefandum;  
Indulge genio: nunc praestat inertibus horis  
Ducere sollicitae, coniux, oblivious vitae:

Atque cohortis adest nostrae pulcherrimus

[unus,

Nuper et ex Asia rediit cum torquibus, atque  
Admiranda quidem rerum spectacula narrat.

Mox ad te iuvenem deducam. Dixit, et illum  
Advocat. Ingreditur miles, consedit, et infit:<sup>2</sup>

Asterie, salve; referam Tibi facta libenter,  
Quae vidi mirans Asiae regionibus ipse.

Illic Vir sapiens nunc degit sive Magister:  
Mitis homo, simplex, pauperimus atque bo-

[norum.

Secretis specubus requiescit nocte silenti,  
Aut cubat in foliis sub tegmine pinguis

[olivae.

<sup>1</sup> Tacit. Ann. I, 70.<sup>2</sup> Milites ex Italica cohorte, quae in Palaestina morabantur, primi Christianae Fidei praecones fuisse videntur. Vid. *Eléments d'Archéologie chrétienne*. MARUCCHI, Vol. I, pag. 6.<sup>3</sup> Tacit. Ann. I, 50.

2 Tacit. Ann. I, 57.

3 Tacit. Ann. I, 60, 61.

Mane novo surgit, vicos urbesque pererrat,  
Ac verbis miseros cunctos solatur amicis:  
Quin iubet ex aegris tristes decedere morbos.  
Ecce manu medica iam profert lumina caecis,  
Oraque muta simul contractaque crura re-

[solvit.

Hic mulier: - Possit dare nobis ille salutem -  
- Iamque lacus ad aquas placidi vagus ipse

[docentem

Olim deprendi: stabat pro litore turba  
Ingens: vere novo ridebant omnia circum:

Nil nisi caeruleum: volucrum sed longa per

[aequor

Albebat series: cantus simul ore ciebant  
Alcyones, caelo volitabat blanda columba.

Sederat in parva puppi bonus ille Magister:

Tum vero teneri currebant undique pupi;  
Adstabant inopes, servi, miserabile vulgus,

Atque senes tristes et casto pectore matres.  
Quam bene tum mediis in fluctibus ille do-

[cebat!

Vox, veluti zephyrus, mulcebat leniter aures,  
Unda sonans humilem cathedram teretesque

[lapillos

Mordebat leviter: placido veniebat ab ore  
Spiritus, atque sinu capiebant gaudia cuncti.

Ipse videbatur mihi caeli tempa serenus  
Imperio, pontum, terras, animosque tenere.

Hunc vidisse virum memini me litore solo:  
Nox erat, et tremulo lucebant sidera motu.

Ille quidem pernox orabat poplite flexo,  
At vigil haerebat semper defixus in uno

Obtutu, subitoque metu quandoque tremebat,  
Horribilis tamquam tacite se larva dedisset.

Quid? Num cernebat caedes et funera solus?  
Ipse quidem siccis pedibus tenuisse per undas

Fertur iter: nimbis furialibus imperat. Olim  
Vela, die vergente, suis comitatus in altum

Iam dederat: caelum volvebant flustra sere-

[num.

Tranquillus tum sole lacus fulgebat et auro:  
Vespere dein subeunt rubicunda crepuscula

[caelo,

Et iam lympharum speculo pia luna renidet:  
Auraque mulcet aquas: suaves funduntur

[odores.

Aequor arant placidi per amica silentia no-  
[ctis;

Gaudent undarum strepitu zephyrique su-  
[surro,

Ac, velut in somnis, elata mente vagantur.  
Interea doctor pelagus caelumque profundum

Contemplatur amans, fruitur quiete supinus;  
Connivet tandem, clavoque immobilis haeret.

Ibant navicula tranquilla per aequora vecti,  
Cum subito ponto madidis Notus incubat alis:

Turbidus imber aqua ruit, et furit atra pro-

[cella.

Tum nautae trepidi clamant simul ore: Ma-

[gister,

Ecce perimus, ades, nunc expurgiscere, sodes.

Ille quidem surgit medius caelique marisque,  
Compellatque suos, et: Quid dubitatis, Amici?

Clamat; parva fides vobis est, pellite curas.  
Sustulit ipse manus: cecidit, mirabile visu!

Tunc omnis fragor, atque simul maris ira

[recessit.

Hic mulier: Vulgus quo nomine nuncupat

[illum?

- Saepe vocant Iesum miseri curisque re-

[morsi:

Venerat e castris noster maestissimus olim  
Centurio, dubioque domum tum corde sub-

[ibat.

Tum mihi: Nonne vides? inquit: Iam deperit

[usque,

Ac meus aegrotat servus, quem semper amavi.  
Ecce gravi carum caput ex ardore laborat.

Hei mihi! Quid faciam? Frustra fomenta

[paravi.

Tunc ego: Quid quereris? Miseris succurrit

[et aegris

Doctor. - Ain tu? Centurio tum clamat:

[Eamus -

Sic Iesum alloquitur, magna comitante ca-

[terva:

Ad Te nunc venio supplex, dulcissime rerum,  
Namque potes solus morbos depellere tristes.

Aeger adest mihi servus, tu miserere cubantis.  
Iesus simpliciter: Veniam, tua tecta subibo.

Centurio mirans humili tum corde: Magister,  
Ignoscet mihi: tanto non ego dignus honore.

O bone, nunc satis est unum te dicere ver- [bum.  
Ipse quidem iubeo, miles mea iussa facessit.  
Tu, dilecte, iube, cedent mala cuncta pro- [fecto:  
Ecce fides, inquit Iesus, tua maxima pollet!  
Fiat quod cupis: ad tua tecta revertere felix.  
Iam tum convaluit servus languore remoto —  
Me, sodes, ait Asterie, dulcissime coniux,  
Duc ad visendum sapientem. Consul: Eamus,  
Procurator adest illic nunc Pontius, inquit.  
Ecce petunt Asiam: Solymorum devenir arces  
Asterie: late fervent iam strata viarum,  
Laetitiaque fremunt cives; ferit aethera cla- [mor.  
Undique deveniunt pueri innuptaeque puellae,  
Gestantes ramos oleae palmaeque virentes;  
Sternunt flore vias hilares ac vestibus ornant.  
Ore canunt laudes: spirant opobalsama cir- [cum.  
Salve, clamant, o Davidis incrementum!  
Sit Pax in terris: Divo sit Gloria Patri.  
Asterie vectum iuvenem miratur asello:  
Excipit adridens plausus is fronte benigna.  
Ipsa: Quis ille, rogit, qui calle triumphat [amoeno?  
Est Galilaeus, ait quidam, bonus ille pro- [pheta.  
Asterie visit Pilati denique tecta:  
Nox obscura subit gelidis terroribus, atque  
Somnus imaginibus nigris gravis occupat ae- [gram.  
Iam cives dirum facinus patrare parabant:  
Excutitur somno mulier vepallida mane;  
Lectica vehitur languens quā murmurat unda,  
Quā tremulae texunt ramis umbracula palmae,  
Lusciniaeque canunt tristes miserabile car- [men.  
Heu! subito resonat magno domus ampla [tumultu:  
Ecce manus hominem cives post terga revin- [ctum  
Clamantes sine more trahunt ad triste tri- [bunal.  
Tum: Quid vult, rogit Asterie, furibunda ca- [terva?

Hei mihi! respondet maestissima Claudia, [Iesum  
Iudei ducunt, captoque minantur iniqui.  
In somnis duri casus mihi venit imago.  
Asterie presso pallens obmutuit ore,  
Aspicit insontem crudeli verbere caesum;  
Purpureo simul indutum miseratur amictu.  
Iam crucifigatur, clamat ferus ore popellus,  
Iam parat immeritum iudex demittere morti.  
Quale nefas! Queritur tum vero Pontius: [Eheu!  
Interii! Me consumpsit Iudeus Apella,  
Asterie, iam surrexit mihi quam niger hic sol!  
Scilicet est insons et servantissimus aequi  
Iesus, nec potui populi cohibere furorem.  
— Tune manus victimas, inquit matrona, de- [disti?  
— Ipse manus lavi: populus mox viderit iste  
Sitne satus Iesus supremo Numine, necne.  
Hunc hominem spero moritum fortiter: ite,  
Nam mox feralis procedet pompa per ur- [bem —  
Asterie: Me due, ait, ad spectacula, coniux.  
Omnibus e vicis iam faex effunditur Urbis:  
Interea tristis miserandaque Victima prodit.  
It patiens Iesus, vepallidus, atque cruento  
Calle crucem reptans demisso vertice portat.  
Qualis adest! Capiti caro sunt spinea serta,  
Sanguineusque fluit sudor simul undique rivis.  
Sunt circum multi sceleris letique ministri:  
Aera canunt; caligae resonant gladiisque mi- [naces.  
Hinc illinc instant Iudei torva tuentes;  
At quandoque sonat singulu fracta querela.  
Iam praetervehitur lectica blanda nitenti  
Asterie: maerens miro pallore recumbit,  
Septaque militibus simul et circumdata flore;  
In violis iacet et ferrugineis hyacinthis.  
Ingerit heu! stolidum Christo convicia vulgus.  
Ore fremunt: Crucifigatur: furor incitat [omnes:  
Perculit Asterien clamor tum plebis et aestus:  
Illa quidem stupet, ac premit alto corde do- [lorem.  
Tamquam oblita sui pulvino nititur albo,  
Atque oculos circum volvit pietate nitentes:

En tandem populum iam dignata furentem  
Colligit et violas et caeruleos hyacinthos,  
Ac simul in salebras spargit, quā Victima  
[transit:  
Mirari simul, irasci, mussare popellus.  
Ecce subit Iesus: voluntat coma mollis ad auras;  
Quantos fert mitis languenti corde dolores!  
Adsistit mulier; miratur cominus illum,  
E dulci pendet facie iam pectore toto;  
Lumina vult tandem cara satiare figura,  
Atque oculis oculos penetrat studiosa dolentes.  
Divaque caerulea flagrat tum pupula luce,  
Atque tuetur amans recubantem Christus [anhelus:  
Nescio quid caeleste micat tum lumine blando:  
Iam patet attonitae morituri Spiritus almus.  
Spectat inexpletum mulier, velut immemor  
[haeret,  
Progenies es vera Dei! simul ore susurrat:  
Leniter atque movet bene dicens Ipse labella.  
Tum vero coepit mulier sperare salutem.  
Devenere locos tristes et culmina nuda:  
Divinum cubitis suffigitur in Cruce late [plent:  
Explicitis Corpus: iam pendet in aere Chri- [stus;  
Fixa notant mortis causam chirographa: REX  
[EST  
HIC IUDAORUM! Iuxta stant ora latronum.  
Flebilis auditur circum querimonia: luget  
Infelix mater, dolet atque immobilis haeret.  
Iam non sole micant nitido fastigia templi;  
Atraque funereo velo vox integit aethram;  
Lectica simul Asterie consistit eburna,  
Atque dolens oculos infami stipite figit:  
Ecce viri tandem morientis maesta cruentam  
Deprendit speciem, quam somnis viderat [aegra.  
Ah! Quoties, inquit, patuit tua tristis imago  
In somnis mihi, quae manet imo corde re- [posta!  
Tuque graves morbos pepulisti mitis ab aegris,  
Huc veni, nec me potuisti tangere dextra!  
Sic tacita pia mente Deum veneratur, et orat:  
Tum vero subito reddit in praecordia virtus;  
Iamque fluunt animi celeres, ac membra vi- [gescunt.  
At Crux vanescit subter caligine densa,  
Nec spectare potest morientem perdita longe:  
Prode tuum, muttit, vultum, dulcissime re- [rum.  
Tum vero tristis coepit discedere nubes,  
Et radiare caput sanctum, mirabile visu!  
Ille infelici moribundus ab arbore tandem  
Demisit radios et lumine perculit illam:  
Ecce animam pallens diris cruciatibus efflat!  
Ingemuere poli: quatit horror protinus aedes,  
Et nutat totus convexo pondere mundus.  
Iam rupe reboant abruptaque viscera montis,  
Ac subito fulgor rapido ferit aethera lapsu:  
Fit fuga: cuncta labant, et adest in turbine [collis.  
Iam resupina cadens in pulvinaria pallet  
Asterie, simul a gelido sudore madescit,  
Molliculus veluti Borea spirante Galanthus,  
Qui pandit florens niveo candore corollam.  
Funerea pendet miserabile de Cruce pondus!  
At genetrix immota manet, vepallida nato  
Lumina defigit: comites loca questibus im- [plent:  
Excessit! clamant simul, et suspiria ducunt.  
Centurio similis meditantis: Scilicet, inquit,  
Progenies erat iste Dei! Sol occidit almus,  
Vesper adest; nidum iam garrula quaerit hi- [rundo,  
Limosoque queri coepit ranunculus agro.  
Respicit extreum discedens ora cruenta  
Asterie, vehiturque dolens resupina cubili.  
Festinant trepidi servi, terramque tenet nox;  
Errant at veterum patrum simulacra per Ur- [bem.  
Mox tandem placide mulier sopita quiescit,  
Nec turbat somnum tristissima mortis imago.  
Tertia lux nigram caelo dimoverat umbram,  
Cum sibi visa cubans voces audire canentes:  
Dulce, micante die, modulamen personat [laures.  
Surrexit! Evae plaudite filii,  
Surrexit! Ira Tartarus infremit:  
Surrexit, et Mortem peremit,  
Aspera quaeque ferens, Redemptor.

Imas in oras venit ab aethere,  
Alvoque sanguis Virginis editus  
Humana iam crudo dolori  
Membra dedit, subiuste flagra.  
At victa vero Mors rabie fremit:  
Omnes refecti divite gratia  
Latum reviviscunt per orbem,  
Aethereoque nitent decor.

Surrexit ergo Christus, et ardua  
Iam templa caeli fulgidus appetit:  
Patresque priscos iam revisit,  
Oci ac volitat procellis.

Vos, nationes, dicite carmina,  
Ornate rubris limina floribus,  
Arasque sacras excitate,  
Ac manibus date tura plenis.

Ver est, et arbos denique germinat  
Iesseia, cedit iam nemus horridum,  
Floresque nascuntur nitentes  
Quà rigidi tribuli subabant.

Salvete, gentes: Christus in aethere  
Dicit triumphum; tendite barbiton,  
Laudate victorem canentes,  
Nam rutili patuere caeli.

Labitur Asterie lecto, viresque resumit,  
Ac tandem prodit caelo fruitura sereno;  
Admiranda polus radians spectacula praebet:  
En video, clamat mulier, discedere Caelum;  
Insignem pietate Virum, dulcissime coniux,  
Agnosco, qui subridet mihi: Scilicet Ipse est:  
Ecce manus ad me transfixas tendit amice:  
Ille quidem Deus est; me sanat, et advocat

[idem!]

Obstupuit coniux tremebundus: Eamus ad  
[Ipsum,  
Inquit: Sic ambo contendunt passibus aequis.  
Feralem collem visunt, ubi linteal fusa  
Mirantur, versum lapidem, vacuumque sepul-

[crum.

At quaedam passis iuxta stat maesta capillis,  
Attonitae similis dulcem iam quaerit amicum.  
Tum vox: Surrexit, non est hic, intonat —

[Ipse

Surrexit!... simul Asterie cum coniuge clamat,  
Succiduoque genu veneratur rite Sepulcrum.

## AESTHETICAE NOTAE

### Subiectivismi sententiae de reali pulchri existentia.<sup>1</sup>

Subiectivismus qui « *sensisticus* » appellatur, vel docet pulchrum simpliciter esse *gratam nostrorum sensuum excitationem* per dilatationem et contractationem fibrarum factum - et dicitur *Edonismus organicus*; vel asserit pulchrum esse *utile*; scilicet pulchri rationem in caeco instinctu ponit, quo homo perpetuo urgetur ad maius meliusque vitae suaem commodum procurandum; ac proinde *Edonismus utilitarius* vocatur.

Prima assertio « positivistis » maxime est communis: quorum alii tenent pulchrum esse delectationem sensuum superiorum vel nobilium (visus et auditus); alii autem in omnibus sensibus pulchri rationem inveniunt, ac proinde aestheticae coquinarem, visceralem etc. introducent.

At vero delectatio non quidem ipsa est pulchritudo, sed est effectus pulchritudinis. Praeterea delectatio alia est sensibilis et ad facultates perceptivas organicas pertinet; alia est spiritualis, et pertinet ad intellectum. « Est enim delectatio non solum secundum tactum et gustum, sed secundum omnem sensum. Non solum secundum sensum, sed etiam secundum speculacionem intellectus ».<sup>2</sup> Datur quoque delectatio mixta: « Quaedam delectationes sunt *simplices*; puta delectatio, quae sequitur contemplationem veri: quaedam autem delectationes sunt *mixtae*; puta quae sequuntur delectationem aliquorum sensibilium, sicut quae sequitur harmoniam sonorum ».<sup>3</sup> Sed delectatio sensibilis diu

producta fatigat, eamque iteratam fastidimus, dum spiritualis iucundior evadit:

*Haec placuit semel, haec decies repetita placebit.*

Edonismus igitur organicus effectum cum causa confundit, et perperam delectationem spirituale negat.

Similiter pulchritudo non est utilitas; secus liberales artes ab industria non discriminarentur. Res utiles ordinantur ad aliud, sed pulchrum propter seipsum amamus. « Considerare pulchritudinem est delectabile secundum seipsum ». Multa utilia neque sensibus, neque menti placent; dum, e contra, pulcherrima quaedam non sunt utilia, saltem huius vitae commodis.

Denique si caecus et effrenus instinctus est causa et norma pulchritudinis, pulchrum nullum profecto est in naturae operibus; regula nulla obiectiva et constans, iuxta quam artes et artifices dirigi debeant atque iudicari.

\* \*

Subiectivismus qui *psychologicus* dicitur, a materialistarum placitis verbo tenus abhorret, et ad aestheticam quod attinet, haud veretur probatis denominationibus uti, *spiritualis*, *intellectualis*, *idealis*, et ita de ceteris. Attamen huiusmodi nominibus non usitatam, sed novam tribuunt psychologi positivistae vim significandi; et ita in iis quae ad rem attinet, cum materialistis plane convenient.

En, ad specimen, affirmationum summa de pulchri natura, secundum querundam psychologorum mentem: « Pulchrum non est entitas substantialis; eo minus est qualitas metaphysica, transcendentalis rerum; non est res operum artis propria, productio unica, quam velit homo; sed pure et simpliciter modus noster subiectivus ac « personalis » res etiam naturales sentiendi: quaedam impressio delectabilis, quam res excitare possunt in nostro nervoso habitu, quamque nos

postea exprimere possumus et vario in modo ceteris hominibus communicare ... Si ergo pulchrum non est in rebus, sed in modo quo res sentimus, aesthetica doctrina obiectiva, doctrina ex se esse nequit; et ideo aesthetica debet esse ante omnia et super omnia ... psychologus. Aesthetica est revera, pure et simpliciter, pulchri psychologia: et pulchri tum naturalis, tum arte facti ... ». Quid est autem activitas psychica, quae pulchrum percipit vel producit? « Est transformatio plus minusve immediata et manifesta effluvii nervosi sensorii, id est centripeti, in effluvium nervosum motorium, id est centrifugum ... Aliis verbis, in casu, impressioni passivae, quam pulchrum in nobis producit, respondet expressio activa, per quam nos illud extrinsecus projectamus, quod nomine artis appellatur ».<sup>4</sup>

Quid vero est et quomodo percipitur pulchrum spirituale? « Quum effluvium nervosum sat vehemens magna ex sui parte in imagines claras atque vivaces in zona inferiori sensus transformatum fuerit, immutatam sua vis partem notabilem reservat adhuc atque zonas superiores persequetur, quas spirituales appello, sed sensu hodierno, positivo, physiologico, monistico ».<sup>5</sup>

Igitur, iuxta istorum psychologorum placita, pulchrum est « impressio quaedam passiva in sensu »; distinctio pulchri sensibilis a pulchro spirituali atque ideali accipienda est a « graduali transitu effluvii nervosi per zonas inferiores ad superiores ». Ars non est « libera hominis productio, sed mechanica projectio ad extra » impressionis passivae; aesthetica est doctrina quaedam *evolutionistica*, *electrica*, *dynamica*, *thermica* ...<sup>6</sup>

<sup>1</sup> DR. MARIUS PILO, *Estetica*, pag. 4-8. Mediolani, 1894.

<sup>2</sup> Id., pag. 39.

<sup>3</sup> Id., pag. 15.

Profecto

*vetut aegri somnia, vanae  
Finguntur species!*<sup>1</sup>

Et haec barbara doctrina, quam Maius Pilo in Italiam importavit, *pili* facienda est. Quamvis enim concedatur in omni pulchri perceptione et productione in nobis excitari effluvium nervosum (idest *vim nervosam*) atque zonas inferiores et inferiores cerebri sursum deorsum pertransire; illa tamen vis seu effluvium nervosum et ab obiecto pulchro, et a phantasmate imaginationis, et a specie intellectiva, et a mentis admiratione atque plausu o quam longissime distat! ...

Mario illi Pilo cum Vergilio valedicimus:

O formose puer, nimio ne crede colori:  
*Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.*

\*\*

Reliquea difficultates, quae a subiectivistis moveri solent, a diversis et oppositis sententiis petuntur, circa pulchritudinem vel deformitatem eiusdem sic prolati, sive haec sit opus naturae, sive artis. Hinc commune illud saepe saepius recitat: *De gustibus non est disputandum;* vel etiam ad rem accommodatur dictum alterum: *Quot capita, tot sententiae.*

Verum hae difficultates pulchri « obiectivitatem » ne vix quidem tangunt, sed unice « gustum » respicunt, seu subiectivam hominum existimationem circa aliqua opera pulchra, quae multis rationibus fallax esse potest. Sententiarum enim diversitas vel a defectu contemplationis, vel ab ignorantia artis, vel a perverso gusto, vel praejudicio scholae et educationis originem trahit. Ad hoc pervulgatum illud Quintilianus effatum: « Felices artes, si soli artifices de iis iudicarent! ».

<sup>1</sup> HORAT., *De arte poët.*, 7.8.

Denique pulchri obiectivitatem mirum in modum ostendit simulque oppositas sententias perbelle refutat omnimoda necessitas, qua subiectivistae omnes ita de pulchro loqui coguntur, utpote de proprietate quadam in ipsis obiectis percepta atque exsistente. Ad rem Horatius:

*Naturam expellas furca, tamen usque recurret.*

G. LEPORE.

## PRO IUNIORIBUS

### IUDITHA

(HISTORIA E SACRIS LITTERIS DEPROMPTA)<sup>1</sup>

#### III.

Angebat cum indignitate ea cura Holophernis animum, quod Hebraei tantummodo, obstinati alieno imperio non parere, ad arma consurgerent. Quare Moabitus Ammonitisque ducibus in consilium adhibitis, ignorare se professus est, cur pauci homines resistere sibi auderent. Siquis loci naturam cognosceret, virtutem hostium et imperatorem, quo uterentur: uno verbo in quo spes omnis adversariis consisteret.

Quidam Achior Ammonita luculentam orationem habuit, cuius haec fuit sententia: « Si cum bona venia me audis, exponam sincere quae inter omnes de Hebraeis constant. Ex Chaldaea oriundi habitatum concesserunt primum Mesopotamiam, eo quod, cui patres suos addictos cernebant, a Deorum cultu discessissent, unumque Deum caeli opificem adorarent. Hinc postero tempore in Chanan demigrare ab eo iussi. Quam regionem propterea quod

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

crudelissima fames excruciaret, in Aegyptum profecti sunt, eamque tenuere terram annos quadringentos. Post, ubi Pharaon multitudinem populi auxisse cognovit, potentiam extimescens, eis cum tristissima servitute intolerabilia onera imposuit; explevissetque porro odium, ni Deus, ad ferociam hominis comprimentam, ingenti magnitudine calamitatum totam illam terram afflixisset. Tum vero tyrannus Hebraeos dimisit: quos quum in servitutem vellet reducere, iussis subsequi se militibus, acerrime vestigiis instituit. Ut ad mare Erythraeum ventum est, aquae ad nutum Dei bifariam divisae Hebraeis patefecerunt iter, Aegyptiosque maxima post hominum memoriam clade, obruerunt. Mox annos quadraginta loca deserta incolentibus, incredibile dictu est quam mirabiliter omnia forent secunda et obedientia, quippe cum Dei patrocinio uterentur, quo destituti non sunt prius, quam ipsi divinae legis violatores exstitissent. Ceterum ubi eos anteactarum rerum poenituit, continuo in gratiam recepti sunt, eique rei indicio esse potest, quod Chananaeis finitimisque gentibus profligatis, eorum urbes et agros occuparint. Quod si iterum atque iterum ad humilem fortunam detrusi sunt, ex renuntiata Deo amicitia id accidisse pro manifesto habetur. Novissime patria extores, admissorum detestatione facta, non modo quibus sedibus abacti fuerunt, in eas redierunt, sed etiam in urbe ipsa Hierosolyma, augustissimo religionis domicilio, exonerati metu vitam traducunt. Quam obrem tibi suadeo exquiras quantum in praesentiarum apud Deum gratia valeant. Si enim amice de Hebraeis ipse non cogitat, procul dubio victoriam adipisceris: sin aliter, calamitosissimum tibi bellum denuntio ».

#### IV.

Vana praecepta surdis auribus cecinit Achior plenus consilii, cui si Holophernes obedisset, arma Hebraeis non intulisset.

Igitur postquam Ammonita finem dicendi fecit, gravissimis verborum contumeliis a ducibus est laceratus, parumque absuit quin eo ipso loco necaretur. Attamen plerique omnes putaverunt exspectandum esse, dum, superciliis montium occupatis, Hebraeorum principes cepissent: quo facto et vatem et urbem se deleturos. Tantum rerum suarum praedatores fiduciam habebant, ut nemo omnium dubitaret quin pauci viri et inermes a conatu resistendi deterrentur, quum viderent se multitudine adversariorum longe multumque superari. Ipse imperator in atroci negotio recordissimus: « Quoniam tu, Achior, in futurum videns pro certo affirmas Hebraeos fore liberos a Nabuchodonosor dominatione, scias te una cum ipsis occisum iri eo die, quo Bethuliam expugnavero. Age dum, bono sis animo, timorem qui te occupavit omitte: nihil tibi accidet mali. Immo vero optimum factu erit, si de quibus mirabiliter et loqueris et sentis, ad eos quam ocysime transeas eamdem fortunam adiutrus ».

Docti erant servi ab Holopherne trahere vatem Bethuliensibus, iamque festinantes pergebant; quum exorti repente funditores in eos impetum faciunt qui Achior ducebant. Tali obiectu in rabiem accensi post montem sese occultant, hominem, manibus ac pedibus arctissime constrictis, ad arborem deligant, eodemque unde ierant sese recipiunt. Post ita non multo, excursores Bethulienses, fortasse clamoribus excitati, huius abiecti vitae subveniunt, eumque domum secum deducunt. Ut primum rei fama urbem pervasit magni fuerunt concursus, expectabantque omnes suspensi et erecti, ut in trepidis rebus fieri solet, quidnam sibi ab eo portenderetur, excidium an Victoria.

Curabant ea tempestate urbem Ozias et Charmi, qui et Gothoniel. His, audiente populo, Achior aperuit se in Holophernis invidiam incidisse quod praedixerat, se

pro haud dubio habere Hebreos non posse vinci, quibuscum Dei immortalis facere numen videret. Tum autem quum retulit imperatorem Assyriorum eo dementiae et audacie processisse, ut affirmaret uni Nabuchodonosor divinos honores habendos esse, vultu demisso, a Deo una voce cum lacrimis postulare, ne se sacraque superbissimi Regis voluntati permitteret. Ozias, inclinante iam ad occasum die, benigne Achior exceptit, invitavitque cum primis urbis apud se ad coenam magnifice comparatam. Post id factum populus, totam noctem, enixius ad aram supplicationes fudit, uti Deus victoriam nationi prosperraret.

## V.

Postero die Holophernes, obscuro etiam tum lumine, ad urbem oppugnandam admonvit exercitum. Habebat centum viginti peditum, equitum viginti duo millia, praeter subsidia ferocissimorum iuvenum lecta ex ex omnibus provinciis, quas servitute oppressas teneret. Milites, stabat enim eques, praecelsis finitimarum regionum locis occupatis, Bethuliam quaqua versus clauserunt. Quo cives comperto, victoriam Deum adorarunt, capitibus cinere conspersis; utque secundae res miraculo eximerentur, si forte divinum numen supplices se et bonae spei plenos respiceret, ad vim arcendam nihil putaverunt commodius, quam ut hostium adventum saltuosis locis manarent. Frustra tamen fuit. Nam quum Holophernes, equo circumvectus, omnia oculis perlustraret, aquaeductum, qui ad meridiem versus conspiciebatur ob sessisque maxime utilis erat, intercidendum curavit; quoniam ei dubium non erat quin hostes, paucis diebus, aut siti enecti animam efflarent, aut certe in ditionem venirent. Nihilominus in tanta rerum asperitate non desponderant animos oppidanis, utpote qui haud longe a moenibus aliquot fontes animadvertisserint, quo furtim ventitantes tantum aquae domum deportabant,

quantum vix ad restinguendam sitim expeditaret. Id quum Holophernes per Moabitas Ammonitasque speculatores compresisset, centum armatorum custodiam singulis aquarum venis imposuit. Quo factum est ut Bethulienses, domi forisque ex aquis laborantes, tumultuosis clamoribus apud Oziam quererentur, quod obstinatissime seque et urbem hosti tradere recusaret. Ceterum post rem actam, orta subito est tota urbe comploratio simul cum ea prece ut, quoniam peccassent, Deum, potius quam hominem sceleratum et impium, culparum vindicem experientur. Ozias his rebus vehementer permotus: « Quintum diem operiamur - inquit - fiduciae pleni: eo transacto, si Deus opem nobis salutemque non tulerit, postulata faciam ».

(Ad proximum numerum).

F. MILLOZZIUS.

## VACUI TEMPORIS HORA

Vir clarissimus Carolus Ronchetti, iam abhinc plures annos socius noster fidelissimus, in mentem mihi revocans hisce diebus **saecularia** occurtere celeberrimi illius antiquitatum cultoris et inscriptio num arte iure meritoque celebratissimi **Stephani Antonii Morcelli**, hortabatur, ut illius viri memoriam aliquam in *Alma Roma* consecrarem. Ei libenter morem gerere cupiens, nil melius id facere posse cogitavi, quam ut quae de sua vita scripsit ipse auctor, qui natus anno MDCCXXXVII gravis annorum an. MDCCXXI obiit, referrem. Ita ille igitur:

« Morcellus Steph. Antonius, S. I., patria Clarensis eiusdemque Ecclesiae Praepositus. Vivit, et quod Lyceo nostro censoria olim praefuerit, libelli quoque huius emitendi - (de scriptoribus latinis) - auctorem se professus est, quo epheborum eius eruditio consuleretur. Ab ipso sunt iam ab

anno MDCCCLXXXI libri tres *De stylo Inscriptionum latinarum* excussi Romae, quos aetas nostra probavit. Exstat etiam volumen eiusdem hoc titulo: *Inscriptiones commentariis subiectis*; item *Sermonum libri II*. Quartum opus est: *Kalendarium Constantinopolitanum*; quintum *S. Gregorius Agrigentinus*, graece et latine. Sextum erit, Deo annuente, *Africa christiana*, quod ultro pollicitus olim est ».

\*\*

Et ad Bernerium nostrum redeamus.

Ludus ab eo graphicè, ut assolet, de scriptus qui sequitur, ad beatissimam pueritiae aetatem me revocat. Memini enim et ipsum ossium, ex persicis malis, globis me ludere cum aequalibus solitum; qui globi **oppidula** vulgo apud nos appellantur. Nunquam vero - fateor - ad morales illas animadversiones cogitatio mea, ad ossa captanda unice intenta, transiit, quas, suo more, sine studio et facili deductione trahit noster.

Legite itaque, nec certo certius sine aliqua animi iucunditate:

Saepe via in media puerorum turba videtur,

Quos ad ludendum sola cupidio trahit.

Os super impositum tribus ossibus eminent

[unus:

Fit globus; aptat humi quilibet ergo suum.  
His formata globis fit linea longa; puelli

Ecce retro cedunt, ludere ut incipiunt.

Constituant, signantque locum, in quo sistere

[debent;

Et sputo feriunt, ne varietur, humum.

Ut vero statuant quisnam praecedat in ictu

Conveniunt, sola ut sorte praeire queant.

Stant omnes circum; dextram quisque elevat,

[inde

Deprimit, extendens ad libitum digitos.

Est puer, arbitrio cunctorum electus: in unum

Vibratos digitos colligit hic, numerum

Incipiens a se, ad socios dein protrahit omnes

A dextris circum. Sors ubi sistit, ibi est.

Ossiculum iacit ergo suum, qui est ordine

[primus,

Et quae disiungit colligit ossa puer.

Pileus est testis lucri: inversum ossibus im- [plent,  
Dein claudunt, motu ne illa agitata cadant.  
Qui magis accedit, replicat prior omnibus [ictum,

Frangat ut erectos, sumat et inde globos.  
Stat rectus, pedibus iunctis, oculisque manuque  
Ictum designat; protinus inde facit.  
Succedunt alii servata hac lege sodales,

Et lucrari horum quilibet ossa cupit.  
Collectis globulis, renovatur linea ludi;  
Et replicant omnes quae acta fuere prius.  
Proh mirum! A pueris nos plura docemur [adulti,

Nam ludus veri semper imago fuit.  
Spem saepe in molem erigimus: fortuna,  
[malorum  
Si iacit ossiculum, spes, licet alta, ruit.

\*\*

## Iocosa.

In caupona, inter duos vinolentos:  
— Quid, inquam, in hoc mundo vini  
poculo praeferriri potest?  
— Amphora, profecto.

Tuccius in periculo historiae civilis  
a magistro interrogatur:

— Dic mihi, ubinam Galli habitarent.  
Tuccius prompte:  
— Ecastor! In gallinario!

\*\*

## Aenigmata

A SOCIO I. M. HOOGLIET PROPOSITA.

### I.

In medio positum pars prima animansque ca- [lore.

Altera pars frigens facies tenet usque supre- [mas.

Haec duo si coeant, atra creatur avis.

### II.

Firmum est, fitque color versum si forte [legatur.

Aenigmata superioris fasciculi his re- spondent: I) Lux - Exul; II) Sat-ira.

IOSFOR.

## ANNALES

### Polonos inter et Germanos dis- crimen.

Ad contentionem sedandam inter Polonos et Germanos ortam de Silesiae superioris possessione, foederatorum nationum novae copiae missae sunt, quae decertata loca pro tempore occuparent ordinemque restituerent. Eae tamen prohibere nequiverunt quominus hic illuc, ac praesertim iuxta Oder fluminis oras, ad vim iterum ab utraque parte concurrentur. Colloquia pariter habita sunt inter exterarum gentium administratos, ut viam aliquam instauranda rei invenirent; sed, prouti videtur, incassum: si enim hinc demigratio nunciatur, inde nuncium sequitur novae occupationis....

Efflagitabant autem Poloni liberum iter ad mare; quae res agitata est apud coetum Societatis Nationum, Genevae congregatum, atque composita tandem prouti sequitur. Regio, quae ad Vistula flumen, Polono gubernio assignabitur ad mercium ingressum, egressum ac transitum, in eaque Poloni milites ad tutelam erunt. Præfectura vero Nationum Societatis, Danzicae residens, de horum militum numero edocebitur ad rem necessario, quem ipsa pro necessitate moderabitur.

### Russicae res.

A Polonia ad vicinam Russiam transeamus; ex cuius regione Vladivostockiensi fertur orta esse seditio in Bolscevicarum tyrannicam audaciam, cum favore, immo auxilio, Iaponiorum et reliquiarum exercitus, qui prius sub Vrangelo duce stipendia fecit. Interim Bolshevikoi foedus in Asia minore feriunt cum factione Kemal principis, qui Turcarum imperium appetit; contra quod « Unio caucasica » sancta esse dicitur, cui et Georgiae et Armeniae gentes accesserint.

Interea Aland insulae Finlandiae tradita sunt.

\*\*\*

### In Anatolia regione.

Sed in Minoris Asiae, sive Anatoliae, regione cum Graecis dissidium perdurat adhuc; quin etiam acrius factum est, ita ut Constantinus, Graecorum rex, constituerit ipse in campum descendere atque belli particeps fieri. Implicata profecto rerum conditio! Si enim Graeci victores evaserint, ecquis dixerit, quo eorum elatus animus progreendi velit? Si, ex adverso, Kemalistae superiores exstiterint, nemini dubium, quin Turcarum et Asiaticorum populi sese in Bolscevicarum fidem contulati sint. Itaque Anglia et Gallia, quibus et Italia sese coniunxit, intercessum apud Graeciam explorarunt; quamquam sine successu adhuc.

\*\*\*

### Pax in Hibernia?

In Hibernia comitia habita sunt ad duplum pro illa insula legum ferendarum coetum componendum, ab Anglis concessum; quae, dictant, brevi sequentura erit fiscalis libertas. Hinc plures auspicia sumere presumunt de pace aliquando inter illum populum et eum qui in Anglia dominatur, assequenda. Quod faxint Superi!

Kalendas Iuliis MCMXXI.

POPPLICOLA.

## MONITUM

*Iisdem rerum adiunctis perdurantibus,  
quae in superiore anno, fasciculi Augusti  
et Septembri mensis in unum colligentur,  
qui Kalendas Septembribus prodibit.*

A. R.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.